

Epistola Cónsolatoria

ad

*Magnificos, Nobilissimos, Consultissimos,  
& Doctissimos fratres*

DN. HEINRICVM  
ab VLENBROCK BVRGRAVIUM  
Regium, & Consulem Civitatis Rigeasis  
meritissimum;

&

DN. IOHANNEM ab VLENBROCK  
Secretarium Patriæ Spectatissimum, super  
tristissimo PHILIPPI ab VLENBROCK Philippi  
Filiij casu: qui à sicario violenter jugulatus,  
miserabiliter periit.

conscripta

M. HERMANNO SAMSONIO PASTO-  
re & Schola Patria Inspectore.

---

RIGÆ LIVONVM

In Officina typographica Nicolai Mollini  
Anno 1616.



Magnifici, Nobilissimi, & Doctissimi fratres quanto vos esse dolore affectos tragica & adversa morte cognati vestri, ego fortasse magis quam alius quispiam de meo dolore exultare possum. Ita enim hic casus me percussit & vulneravit, ut neq; cogitatio consilii, neq; studium negotiis suppeditet. Imò cum ex nuntio isto tristi alieni à vestro honestissimo genere maximum ceperint dolorem: quid vobis propter sanguinis unionem accidisse necesse sit, cogitare facile licet.

Carus is multis inprimis fuit, & singularem de se expectationem omnium jam concitavit. Ingenium certe eius à multis annis mihi perspectum fuit, cum primum cura nostræ & institutioni commendaretur: in quem, sicut & in reliquos, qui vestro satu procreati sunt, singularis & incredibilis ad honestatem & virtutem transfusa erat incitatio. Vnde indubiam animo meo spem fovi, eum crescentibus annis per semitam à maioribus vestris prius calcatam incessurum, in eorumq; mores & instituta abiturum; & insignem vobis omnibus amplitudinem pariturum.

Itaq; omnes facile mecum intelligunt, acerbissimum vobis luctum oblatum fuisse morte eius: neq; vos solū, sed & omnes reliquos cognatos ob insperatum huius mortis casum gravissimè perturbari.

Quia vero oratio afflictis ægritudinem quasi abstergere solet, & est efficax quædam animi medicina: ideo propter necessitudinem nostram visum est, consolationem brevem & nervosam vobis inculcare, & animis vestris subijcere. Quamvis autem, quæ à me commemorari ad vos consolandum possint, eorum nihil esse sciam, quod non vobis viris prudentibus & doctis, & quod caput est, piis in mentem ultro veniat: tamen nescio, quomodo amici alloquium singularem vim in se contineat, amicos afflictos sustentandi, & prostratos benignitate sua erigendi.

Dubito autem, an quicquam potentius consideratione providentiæ divinæ ad animos vestros erigendos afferri possit! Sicut enim contra eam nihil cuiquam evenire potest: Sic quod factum est, illud & non modo non culpate, sed etiam in optimam partem interpretari debemus: ut, quamvis affectio animi tristis resistat, nos tamen credamus, & rectè & ut liter factum esse.

Dei voluntas nobis quidem occulta: injusta tamen esse non potest. Magno ergo illi Rectori, & præpotenti huius universi gubernatori nos attemperemus, cui infelix, qui recalcitrat aut obstitit. Ut enim fumus & caligo, inquit Lipsius, quamvis crassa: dum sublata est, dissipatur & spargitur: sic dolor omnis, cum ad supera fertur & æterna.

Sed homines pleriq; aliter, & quicquid triste & acerbum est, acriter & internè volumus: quod læti in est aut boni.

vix levi cogitatione delibamus. Atqui secius oportebat, Sicut enim torrem semivivam à foco qui tollit, non ea parte arripit aut tractat, quæ incanduit: sed quæ ignem nondum accepit: sic nos decet, non acerbam hæc & vrentia casuum tangere, sed magis benigna in iis aut læta. Et ut spinas aut tribulos, etiam si adhæreres aut amplectentes dimovemus: ad porta aut vultus ultro manus porrigimus: sic in isto casu, quod juvare, aut allevare potest, apprehendamus: pungentia illa & noxia, etiam si offerunt se, depellamus. Occultat enim, (ut Plinius ait) in totisq; formis Deus, & plerumq; bonorum malorumq; cause sub diversis specie latent.

Proinde rectè ad Dei providentiæ assurgite, tum demum curisissimum & peccatissimum portum invenieris, in quo quantumvis asperis tempestatibus jactati, conquiescatis.

Atque casus atrocitas vos percellit: subijcite animis vestris ista aurea Senecæ Epist. 99. Omnes eadem conditio de-  
vixit. Cui nasci contingit, mori restat. Intervallis distingui-  
mur, exito æquamur. Hoc quod inter primum diem & ulti-  
mum jacet, varium & incertum est. Si molestias æstimas,  
etiam procreo longum: si velocitatem, etiam seni angustum.  
Sed quando quis, ab hac rerum colluvie & inanitate profe-  
cturus sit, in pueritia an in adolescentia, an in confirmata  
ætate, nocturno interdum, hoc unumquemq; latet: Nec minus  
quo loco, qua læti forma pariturus. Alios siquidem ferro, ali-  
os igne, alios aquis, nonnullos belluarum morsibus, quosdam

venenis, alios terroribus repentinis, alios fame, alios siti, alios precipiti lapsu, alios laqueo, alios morborum savitia de medio in visa mors rapit. Hæc ille satis appositè, si providentia DEi omnium rerum gubernatrix à Christiano præsupponatur.

Sicut enim hortorum peritus cultor plantas quasdam, priusquam degenerent, evellit: quosdam flores leviter decerpit: quosdam & fructuum in acerbitate resecat: Sic & magnus ille mundani horti cultor facit: alios hæc, alios illa ratione carpit & examinat, quemq; in suum usum.

Vnde etiam antistites coelestis sapientia docent: Ex externis eventis non esse de aliquo iudicandum: quippe cuiq; evenire potest, quod alteri contingit. Atq; huc pertinet decantata illa sapientissimi Regis gnomo Eccles. Cap. 9. v. 11. *Etiã amorem etiã odium nescit homo.* Licet enim res secundæ favoris, adversæ vero odii & iræ divinæ signa esse videntur: tamen id non est perpetuum, sed sæpe accidit secius: dum tam pios quàm impios miserabilis læpe & communis vitæ exitus excipit.

Multi impij milites in bello enecantur: atqui idem mortis genus accidit pio. Habelo! Achan lapidibus obrutus fuit ob peccatum enorme: Sed eandem etiam fortunam incurrit Stephanus protomartyr. Pharaõ indiratus aquarum vorticibus absorptus & suffocatus fuit: Quod etiam mulcis antediluvianis resipiscencibus evenit. Libenter silencio

rio involvo pestem, famem, & alia communia mala, quibus tam piorum sæpe quàm impiorum vita, Deo ita moderante, est proposita.

Idem omnino etiam statuendum est de pijs, quando inopinatò interficiuntur, & in manus sicariorum incidunt, quod Deus tradiderit illos in manus eorum, qui faciunt cædem illam, coram oculis hominum fortuitam, nihilominus Dei providentia gubernatam: qui pro diversitate hominum diversas etiam talia permittendi, & pios quandoq; mæstis huiusmodi casibus exercendi, causas habet. Ita ut non tantum mala activa, quæ ipsi faciunt, sed & passiva, quæ ipsis irrogantur, in bonum cedant, B. Luthero docente super 20. Cap. Genes:

Audiamus Spiritus S, verba Exod. 21. v. 12. 13. quæ ita habent: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur: Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quem fugere debeat.*

Quæritur hoc loco, quomodo Deus aliquem tradat in manus sicarij? Aliter Calviniani, aliter Orthodoxi respondent. Calviniani docent, Deum non tantum generali ratione ad quodvis scelus concurrere, sed etiam speciali actione, quæ in quovis facinore apparet. Sic enim Calvinus lib. 2. Institut. Cap. 4. S. 2. *Omitto hic universalem DEi motionem, unde creatura omnes ut sustinentur: ita effica.*

efficaciam quidvis agendi ducunt. De illa speciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore apparet. Quæ vero sit illa specialis Dei actio in perpetrato homicidio, ex Beza responsione adversus Sycophantæ alicuius calumnias pag: 167 cognoscamus: *Excitat, inquit, Deus malâ latronis voluntatē ad alium interficiendum, nec eo contentus, etiam dirigit eius manum ac telum, ut is interficiatur, quem iusta cadi destinavit.* Idem habet Beza super lobum pag: 51. A quibus tamen Danæus, quantumvis aliâs acerrimus Calvinianus, dissentit lib. 3. politic. Christ: c. 5. p. 204. Iunius de primo peccato Adami: Gomarus de providentia.

Et nos dogma hoc impium & omni consolatione vacuum iudicamus, & omnibus piis ac cordatis viris meritò fugiendum. Ad eandem actionem Deus, homo, Satanas variè concurrunt, sine ulla divinæ justitiæ & maiestatis cælestis macula. Nam Deus omnis motus & actionis (quæ naturalia non quæ vitiosa) omnisq; boni citra controversiam origo & author est. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus: Actor: 17. v. 28.* Satanas vero est causa efficiens vitij in actione & motu; homo est causa instrumentalis istius vitij: quod potest *Deus Spunire, non facere, ut licetè monet Fulgentius lib. ad Monimum cap. 19. quod potest Deus permittere, & ordinare ad bonum finem.*

Ut enim medicus venena non procreat, sed ad corporis incolumitatem venenis probè & cum laude vitur: Sic & Deus

Deus peccata non efficit, sed ad bonos fines bonoq; modo semper dirigit: quamvis eos non semper a se equamur. Quia *judicia Dei sunt abyssus multa* Psalm. 36. v. 7. Itaq; ratione sustentationis in agendo, permissionis, & ordinationis ad bonum finē multa facta sæpe Deo in sacris literis tribuuntur, quæ ab ipso, quatenus vitiosa, longe sunt alienissima.

Vnde impius & abominandus Calvini & Beza error perspicitur, quasi Deus excitet malam latronis voluntatem ad alium interficiendum: quæ excitatio sine internâ malitiæ operatione in latrone consistere nequit. Quasi item Deus dirigat manum ac telum latronis, ut is interficiatur, quem iusta cadi destinavit. Quibus omnibus oppono illud Augustini de civit. Dei lib: 7. c. 30. *Sic Deus administrat omnia, quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* Ergo sinit & permittit Deus telum in alterum ferri, non agit, non ipse dirigit contra alterum: quod Satanae proprium est, & hominis ei consentientis, atq; proprios exerentis motus.

Sed revoco me, ne extra cancellos & crepidines, quibus me circumscripti, evagari videar. Vestra erit pietatis & virtutis, non tacita objurgatione Deum verberare: sed in voluntate eius conquiescere: Verus est: *Feras non culpes, quod mutare non potes. Animus equus optimum arumnae condimentum.* Est mare quoddam hæc vita: fluctus in ea asidui & tempestates, & iterum malacia aliqua & tranquillitas di-

stinguit. Felices, qui, ut periti & duriores nauæ assueverunt,  
nec ad singulas concussiones nauscant aut ægrescunt.

*Statutum est omnibus semel mori, nec fuit, aut erit qui-  
spiam, qui non huic legi obnoxius. Cur ergo admiremur,  
si scissum est, quod erat natura scissile! aut liquidum, quod  
liquabile! aut crematum, quod ustile? si perit, quod erat  
ita natum, ut perire posset? Quod mortuus est agnatus  
vester, id fuit naturæ debitum. Genus & Modus mortis  
Dei permissioni reservantur, in quam scrupulose nos inqui-  
rere haud decet: quæ etiam de mortui salutis & felicitati sem-  
piternæ fraudi esse nequeunt, quod exemplo pij constat Ha-  
belis: cuius pietatem ipse verà in Christum fiducia adhuc  
vivens imiratus est.*

Tiberium principem legimus, unico filio Druso orbatum,  
tanti imperii destinato successore, eà firmitudine animi fu-  
isse, ut eo defuncto nec dum sepulto curiam sit ingressus:  
Rempub: scilicet velut filiam amplexus, & in eà conqui-  
escens.

Quanto magis id decet eos, qui Christo nomen dede-  
runt, ut tempestate aliqua coorta non perturbentur nimi-  
um, neq; deiciantur de gradu: sed firmitatem retineant &  
forti animo excipiant impetus fortunæ adversæ, & permit-  
tant Deo cætera.

Hæc omnia in locum xenoli cuiusdam vereunde vobis  
offerò: grandiora dent alij: Ego, cui rusculum aratur exi-  
guum

guum, hostia quasi humiliore vos colo: & quia thura non  
habeo, tanquam molâ falsa agrestium scilicet pietatem æ-  
mulatus, studeo venerari.

Christum tandem oro, tum ut sustentet animum ve-  
strum afflictum salustico suo Numine: tum ut hic recens  
annus vobis vestrisq; faustus procedat, sicut & omnes reli-  
qui, quibus spiritum estis ductuti.

## EPIGRAMMA

breve.



*Non metit ante diem lactentes messor aristas,  
Cruda nec avellit poma colonus inops.*

*At serate ante diem nigris innexuit alas*

*Mors, pars ò anima magna Philippemea.*

*Quid iuvat insano mentem stimulare dolore!*

*Janua mors vita est, vinida vita polo.*

*Non quali leto, sed qualis venerit ad se,*

*Attendit summi provida cura fori:*

*Corporis hic gelidi subitâ vi migrat ab arce,*

*Ast alius lentâ tabe peresus obit.*

*Carus uterq; DEO tamen est: animoq; sereno,*

*Aspectu fruitur latificante DEJ.*

*Ergo quod Domino placuit, placeat quoq; nobis,*

*Nostra manu regitur vita salusq; DEJ.*

*Hinc*

Hinc quodcumq; novum nostro contingit in aeo,  
Aut facit, aut fieri non sine fine finit.  
Sunt bona quae fabricat DOMINI miranda potestas,  
At mala permittit, dirigit adq; bonum.  
Mentis ubi nostra flaccescit, hebescit acumen,  
In mediisq; malis cernere lata nequit.  
Arripit hoc fidei verbo solidante profectus,  
Speratoq; domat tristitia quaq; bono.  
Nam DOMINVS Pater est, mentes si quando serenat  
Numinis afflatu vi vidiore sui.  
Et DOMINVS Pater est, quando nos dura flagellant  
Verbera devota sub pietate crucis.

